24.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Magno et Illustri Viro
D. Constantino Hugenio, Equiti, etc. Patrono et
Domino meo πανάριστῳ S. P. D.
Henricus Bruno.

Ego vero tardum, imo mutum nomen aliquot retro diebus fui, do-
mine, qui ne gry quidem Lucilianum ad te; Non vivam si malim
tamen; ac ut illo culpae affinem agnosco, ita hujus suspiciendum eti-
am deprecor: Caeterum si, cum et a lectiss. commilitonibus et in
his Constantino non in transitu nec ὡς πάρεργον nominando prae-
sertim, novissime insuper ab optimo juxta doctissimoque Heilersiegio
officium hoc literarium simul et materia scribendi, praeoccupa-
rentur, non irascendum pudori putas, quod crambem A. T. re-
coquere tribuerim quam non natura tantum sed et aequita-
te, et judicio tuo meo adactus, ad ignoscendum sis jamdudum
intelligis; adeoque ego accusandus duntaxat eo, quod excusare
videar, et tu quod anxia nimis purgatione facilitati tuae
quasi de ea dubitans, injuriam fecerim, indignaris. Pergo.
A florido Floro et bello, et ingenio et nomine, et stylo
Caesarem auspicandum, censere A. T. ὁ θαυμάσιος noster
ait: sed quia Heilersiegii, in cujus me tum sententiam pedi-
bus ivisse fateor, consilium ut et scripsit erat ut nisi tuo sic summo
perpetuo Dictatore et sine collega Consul, dissentires, Livium
aggrederemur, dabis pro solita humanitate veniam si usquedum
aut semel hoc abs te impetratum, neque mutare sententiam aut
in Livium consentire, perscribere placuerit obsequium differa-
mus. De Comenio somnium meum tibi etiam vigilanti placu-
isse, (non negabo) tantum non magnifice sum gloriatus, bona
certe fide gaudebam, quod deliria mea, quod voto majus erat
receperis, quae si respueres minus tamen paterentur quam
meruerint; cum Henrico et Brunone Coss. uno Morpheo
Patre conscripto sine senatu sine senatus-consulto praeclarae
illae nugae nascantur. Doctori nostro, olim si ut coepit pergat
sine controversia ut vocant doctorando alius pro Erasmo pro-
pediem author procurandus erit Desiderium enim illum novum
ut sit libellum desiderans festinat absolvere. nisi Comenium a
quo (cur, nescio) ἀνθρωπίσκος alienior est, ordinarius, hujus loco
horis explicari consultum putas (ego certe puto, et si tu annuis ac-
cesserit, αὐτὸς ἔφα) Pontani progymnasmata, quae inter biblio-
thecam tuam κανονικὴν esse et ante majoribus praelecta credo meminisse
substitui utiliter posse existimaverim, si censueris. Sed te moror o
Belgarum et negotiorum Atlas. Vale, ut valeamus. Prid. Quintil.
CIƆ IƆ C XL Hagaecom.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2448

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2448

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2448

Mijn Heere,

Mijn Heere Constantijn Huigens,
Ridder, Heere van Zuylichem,
Raed en Secretaris van sijn
Hoocheyt.

met Leggen

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2448